



**Vademecum Sive Praxis Opera Quotidiana Aliaque ritè
peragendi, & per ea salutem & perfectionem propriam, ac
proximi, instituto Societatis Jesu conformem assequendi**

De operibus solidæque devotionis exercitiis, quæ vel quotidie non
peraguntur, ves fusiore indigent explicatione, quomodo cum majori fructu
peragi possint

Limpens, Ferdinand

Coloniæ Agrippinæ, 1744

3. Officium divinum unde ? ejus divisiones.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54780](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54780)

fuit, & apponitur in Breviario, ut Sacerdos tempore necessitatis eam ad manum habeat.

Sexta Appendix est Benedictio mensæ, & Itinerarium Clericorum. Benedictio ad mensam quibuscunque demum concepta verbis fuit in in V. & N. testamento ante & post comestionem, Et Christus post Cœnam ultimam hymno dicto exiit in hortum Gethsemani. Itinerarii Clericorum autor incertus est, nec invenitur in antiquis Breviariis. Ultimæ duæ orationes inveniuntur in *Sacramentario S. Greg.* sufficit mihi, quòd Ecclesia itinerarium hoc tanquam communes preces adoptarit, in qua adoptione magnam pono confidentiam, & effectum ejus unâ mecum plurimi in periculosis itineribus senserunt.

3. *Officium divinum unde? ejus divisiones.*

Officium est quasi *efficiam* 2^{um} dum Hieron. in lib. de officiis. Unicuique enim convenit suum efficere officium. Et officium teste Isid. propriè est congruus actus cujusque personæ secundum mores ac leges publicas, vel assumptæ professionis. *Divinum* dicitur, quia est proprius actus eorum, qui Deo sunt dicati. *Simplex* dicitur, quòd fit de feria sive festo cum uno tantum nocturno & tribus lectionibus. Rudolphus dolet, Breviarium sub Gregorio IX. ab Haymo digestum ad usum communem receptum esse ob multitudinem festorum cum diminutione ferialis officii in eo contentam. S. Bern. ad Canon. Lugdun. scribebat numerositatem

tatem festorum *Cives* decere non *Exules*, quales nos in hac miseriarum valle adhuc sumus. Sed brevitatis officii diurni compensari potest aliis piis operibus & precibus. Multi pinguius præbentur nec negotiis aut occupationibus sacris vel profanis reipublicæ causâ distenti adhuc brevius esse officium divinum optarent, sed malè. Aliud esset pro hominibus iudicio Bellarmini, qui toto sæpè die concionando, Confessiones excipiendo ità distenti sunt, ut vix cibum capere possint, & sub seram noctem prius horas recitare debeant. *Semiduplex Festum* inde dictum, quòd nec Antiphonas duplicet, nec preces & suffragia excludat. *Duplex* est, in quo Antiphonæ ante & post Psalmos duplicantur. In recognitione Clementina Breviarii ad majorem distinctionem & faciliorem usum tabellarum de occ. & concurrentia festorum instituta sunt quatuor genera festi & officii duplicis, nempe primæ & 2dæ classis, duplicis majoris & minoris. Porrò quoad hanc festorum & officiorum varietatem usui venit illud Dion. Arcopag. nempe quod Ecclesiastica Hierarchia & officiorum in ea distinctio repræsentet cælestem hierarchiam, in qua Sancti juxta Apostolum, sicut stella differunt claritate à stella, secundum meritorum diversitatem disponuntur.

4. *Hora in genere.*

Hora aliquibus dictæ esse videntur ab *orando*. Sed ideo propriè *hora* dicuntur, quia definitis ex Ecclesiæ instituto horis recitantur.